

Letter 217: [ca. September 1524, Strasbourg], Symphorien Altbiesser to Capito

The manuscript of this letter is in the Archive municipale of Strasbourg, AST 40, #65.

In hanc tuam sententiam mecum decrevi, modo doleo verbum adhuc parum, vel nihil aput eos proficere, qui mundo aliquid esse videntur. Cupio iam aut mori aut me a verbo alienissimum, cum surdis fabulam narramus et mortuis latramus, sed vix contineo, quin audiant me huius [?] ineptie penitere, qui cum pauperes suos interim fame perire sinunt, iam tot sumptus in cereos et in alios sumptus idolatros divortunt, sed agant quod velint, iam M. Zellum ipsum accedo sibi eadem velaturus. Ceterum nescio quid de damno meo te dolere dicis. Nichil est, Christo ego doleo, tibi habeo gratias et tue amicissimae uxori, qui me iucundissime refecit, deinde communi domino ac patrono nostro, episcopo Brucellensi, qui nobiscum plus facie quam animo, ut solent infirmi. Letissimus collusit, chartam illam mihi missam legi, homini huic gratiam et pacem a Iesu Christo imprecor, ut agat verbum, spiritu potentissimo, ut video. Tu interea cum tua coniuge dulci, vale foelicissime. Raptim.

Tuus Simpho[rianus].